

poenarum praemiorumque arbitra. Moritur innocens in potestate simplicitatis suae, in abundantia propriae voluntatis, sicut adipe repletam animam gerens. At vero peccator quamvis foris abundet, delicii diffluat, odoribus flagret, in amaritudine animae suae vitam exigit et ultimum diem claudit, nihil secum eorum quae epulatus fuerit referens, bonorum nihil secum auferens, nisi scelerum suorum pretia. Haec cogitans, nega, si potes, divini esse iudicii remunerationem. Ille suo affectu beatus, hic miser: ille suo iudicio absolutus, hic reus: ille in exitu laetus, hic moerens. Cui absolvi potest, qui nec sibi innocens est? Dicite, inquit, mihi, ubi est protectio tabernaculorum ejus? Signum ejus non invenietur. Vita etenim facinorosi, ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus, evanuit delectatio: licet ipsa quae videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit. Viventes enim in inferna descendunt. Vides convivium peccatoris, interroga conscientiam ejus. Nonne gravius omnibus foetet sepulcris? Intueris laetitiam ejus, et salubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam: introspecte ulcera et vibices animae ejus, cordisque moestitudinem. Nam de opibus quid loquar, cum legeris: Quia non in abundantia est vita ejus, cum scias, quia etsi tibi videatur dives, sibi pauper est, et tuum iudicium suo refellat? De multitudine quoque filiorum, et de indolentia quid loquar, cum se ipse lugeat, et sine haerede futurum iudicet, cum imitatores sui successores suos esse nolit? Nulla enim haereditas peccatoris. Ergo impius ipse sibi poena est; justus autem ipse sibi gloria: et utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex se ipso solvitur.

DEUM, ETIAM CUM NON PUTATUR, REGERE OMNIA QUAE
CREAVIT.

Sed revertamur ad propositum, ne divisionem factam praeteriisse videamur, quia occurrimus opinioni eorum, qui